Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

ne nostris videlicet operibus confidentes sed de eius semper examine paventes cum propheta dicamus.
Quid retribuamus domino pro omnibus quae retribuit nobis. Qui ut fidem se grano sinapis simulan-
dam humilem scilicet et ferventem habuisse monstraret praemisit dicens. Credidi propter quod locutus
sum. ego autem humiliatus sum nimis. Ut quam suis se viribus minime credidisset ostenderet
in extasi locutus adiunxit omnis homo mendax. Ut inutilem se servum etiam calice pretiosae
se mortis accepto significaret exclamavit. O domine ego servus tuus ego servus tuus et filius
ancillae tuae. Disrupisti vincula mea. Non ait ipse disrupi ipse mihi saluando sufficio.
Sed tu disrupisti vincula mea tibi sacrificabo hostiam laudis. Haec est igitur in hominibus
sola fidei perfectio si omnibus quae praecepta sunt impletis inperfectos esse se noverint et quamdiu pere-
XVIII grinantur a domino semper inesse sibi mala quae defleant semper meminerint deesse bona atque gratia eius iuvante perficiant.

Et factum est dum iret in hierusalem transiebat per mediam samariam et galileam et cum ingrederetur quoddam castellum occurrerunt ei decem viri leprosi.

Leprosi non absurde intellegi possunt qui scientiam verae fidei non habentes varias doctrinas profitentur erroris. Non enim vel abscondunt imperitiam suam sed pro summa peritia proferunt in lucem et iactantia sermonis ostendunt. Nulla porro falsa doctrina est quae non aliqua vera intermisceat. Vera ergo falsis inordinate permixta in una disputatione vel narratione hominis tamquam in unius corporis colore apparentia significant lepram. tamquam veris falsisque colorum locis humana corpora variantem atque maculantem. Hi sun[…] autem tam vitandi sunt aecclesiae ut si fieri potest longius remoti magno clamore […]datori[…] christum interpellent unde et apte subiungitur.

Qui steterunt a longe et levaverunt vocem dicentes ihesu praeceptor miserere nostri.

Et bene ut salventur ihesum praeceptorem nominant. Quia enim in eius verbis se errare significant. hunc saluandi humiliter praeceptorem vocant. Cumque ad cognitionem praeceptoris redeunt mox ad formam salutis recurrunt. Nam sequitur.

Quos ut vidit dixit ite ostendite vos sacerdotibus et factum est dum irent mundati sunt.

Nullum dominus eorum quibus haec corporalia beneficia praestitit invenitur misisse ad sacerdotes nisi leprosos. Quia videlicet sacerdotium iudaeorum figura erat futuri sacerdotii regalis quod est in aecclesia quo consecrantur omnes pertinentes ad corpus christi summi et veri principis sacerdotum. Et quisquis ab heretica pravitate vel superstitione gentili vel iudaica perfidia vel etiam schismate fraterno quasi vario colore per christi gratiam caruerit necesse est ad aecclesiam veniat. Coloremque fidei verum quem acceperit ostendat. Cetera vero vitia tamquam valitudinis et quasi membrorum animae atque sensuum per se ipsum interius in conscientia et intellectu dominus sanat et corrigit; Denique et paulus voce domini audita quid me sequeris. Et ego sum ihesus quem tu persequeris. ad ananiam tamen missus est ut illo sacerdotio quod in aecclesia